



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. j. Quænam sint generalissimæ diuisionibus entis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

bonum est, igni verò malum: ergo bonitas rectè diuiditur in absolutum, & respectiuium. Secundo res esse potest bona in omni genere entis illimitatè, independentè, necessariò: illa vocatur bonitas per essentiam, solius propria primi entis, & verus eius character; omnia eius continens nomina, omnia attributa; est enim ipsum bonum sine limitatione, quia infinitum est tum intensiue, tum extensiue: sine compositione, quia est summè simplex, & indiuisibile, totum essentia & pelagus essentia: sine dependentia, quia totum est à se id quod est, fons fluminis sui: sine contingentia, quia necessariò est: sine potentialitate, quia totum est actus, & totum actus. Res etiam esse potest bona participatè, limitatè, dependenter ab alio ente; hoc est bonum, quod dixi participatum, gutta illius oceani, radius huius solis, vmbra illius luminis. Totum videlicet bonum creatum à Deo manans, ad Deum rediens, dum amatorio circulo à bono in bonum perpetuò circumagitur illud summè bonum, & summè pulchrum. Tertiò potest aliquid esse bonum vel naturæ, vt natura est, idest prout naturaliter operatur, vt calor bonus est igni, diciturque bonum naturale; vel naturæ vt liberè operanti, & cum discursu, & dicitur bonum morale. Denique aliquid est bonum respectiuium, quia decet naturam rationalem; diciturque honestum, vel quia voluptatem affert, & est delectabile; vel quia conducit ad aliquem finem, & vocatur vile. Bonitas ergo prout præscindit ab illis omnibus, & est amabilitas fundamentalis, est illa bonitas, quæ conuenit omni enti, & est eius proprietas.

Multiplex malitia.

Dico tertiò, malitiam bonitati transcendentali oppositam esse imperfectionem rei, ratione cuius illa odio haberi potest: totidem autem modis illam posse diuidi, quot modis diuiditur bonitas. Primò enim malitia absoluta est pura priuatio entitatis, quæ soli conuenire potest non enti: malitia respectiua est disconuenientia cum alio: calor v. g. malus est aquæ, qui est bonus igni. Duplex est hæc malitia; positiua & priuatiua. Positiua est, quæ per suam entitatem positiuam malè afficit aliam, vt calor per se aquam malè afficit. Priuatiua est negatio alicuius perfectionis debitæ, vt defectus frigoris in aqua. Rursus malum respectiuium aliud est naturale, quod est disconueniens naturæ vt natura est; aliud morale, quod est disconueniens naturæ vt rationalis est. Quomodo autem nulla sit natura mala, & quænam sit origo mali, multipliciter disputarunt Sancti Patres contra Marcionem, & Manichæos, qui multas ponebant naturas malas, quarum author non esset Deus ex sua natura bonus, sed alter quidam Deus ex se malus, & principium omnis mali; quorum insania multis rationibus euidenter conuincitur potest, præsertim cum implicet, aliquid esse simul ens, & esse malum; neque malum reuerà sit, nisi quando voluntas ex se bona, liberè agens efficit seipsam malam.


Solutio trium dubitationum.

Ad primam respondeo distinguendo antecedens, eo modo quo dixi de veritate: prius est aliquid esse bonum, quàm esse amabile formaliter, concedo; quàm esse amabile fundamentaliter, nego: nam esse amabile fundamentaliter, idest esse fundamentum propter quod aliquid amari possit, & esse bonum.

Ad secundam respondeo non esse vllum ens, quod non sit bonum & amabile, sub ea ratione, quæ ens est: v. g. odium Dei præcisè vt est ens, est

A aliquid amabile, quamvis quatenus est tale, sit moraliter malum intrinsecè, vt in morali explicatum est.

Ad tertiam respondeo, quodlibet ens reale bonum necessariò esse bonitate transcendentali; ens autem, prout diuiditur in bonum & malum, est ens prout commune enti ficto & reali. Cum dicitur posse ab aliquo amari non ens, facillè concedi potest; quia bonitas, quæ conuenit omni enti, dicit in recto ipsum ens, prout, &c. Enti igitur ficto bonitas transcendentalis non conuenit.



DISPUTATIO IV.

De variis entis diuisionibus.



OST generalem conceptum entis, & proprietates eius reciprocas, sequitur vt dicam de diuisionibus eius in plura inferiora; nihil enim est reale, ad quod non descendat; nihil quod suo quasi attractu non confignet, vt fiat reale, ac desinat esse nihil. Infinita igitur esset ista consideratio diuisionum entis, complecteretur omnes scientias, nisi solis illis diuisionibus essem contentus, quæ ita sunt vniuersales, vt singulæ totam latitudinem entis exhaustiant. Primò igitur inquiri, quænam sint generalissimæ diuisiones entis: secundo cuiusmodi sit diuisio entis in substantiam & accidens: tertiò cuiusmodi sit diuisio entis in decem categorias. Reliquæ vel difficultate carent, vel explicatæ manebunt duabus illis rectè intellectis.

QVÆSTIO I.

De communissimis entis diuisionibus generatim.

CVm nihil omninò sit, quod non sit ens, præter purum nihil; tam latè patent diuisiones entis, quàm diffusa est omnis realitas: satis autem erit dicere in genere primò, quænam illæ sint, secundo quænam ex illis sit omnium prima.

SECTIO I.

Quænam sint generalissimæ diuisiones entis.

Certum est primò, generalissimas diuisiones entis istas esse posse: primò in ens increatum, & creatum: secundo in corporeum & spirituale, viuens & non viuens, intellectiuium & non intellectiuium, absolutum & respectiuium: tertiò in substantiam & accidens, ac demum in decem prædicamenta; quia præter istam vltimam nulla est ex illis quæ non adequatè distribuat totum ipsum ens, v. g. diuisio in Deum & creaturas, non diuidit solam substantiam, sed substantiam & accidens: idem dico de spiritali & corporeo, viuente & non viuente. Illæ singulæ diuisiones entis sunt omninò adequatæ: de diuisione in decem prædicamenta diuersa ratio est, quia vt dicam, Deus in nullo est prædicamento.

Genera-
lissimæ
diuisiones
entis.

Certum

Diuisio
entis in
Deum &
creaturas.

Certum est secundò, diuisionem entis in Deum & creaturas variis modis solere tradi. Primò sub his terminis, *infinitum*, & *finitum*; quibus ita significantur Deus & creatura, vt expresse designetur summa distantia, quæ est inter duo illa membra; ens enim infinitum appellatur, quod in sua essentia ita est illimitatum, vt omnem omnino contineat perfectionem possibilem, vel formaliter, vel eminenter: finitum autem, quod ita pertinet ad certum gradum in latitudine tota entis, vt ultra non ascendat, neque contineat vltiores gradus, vel formaliter, vel eminenter. Vnde quamuis fieret à Deo aliqua creatura, cui daret gradus perfectionis infinitos, non esset tamen illa infinita essentialiter, quia non contineret omnem perfectionem possibilem. Secundò traditur eadem

Ens à se
& ab alio.

sub his terminis, *Ens à se*, *ens ab alio*; id est, *independens*, & *dependens*. Primum est illud ens, quod habet esse à seipso, non causaliter & positivè quasi seipsum produxerit; sed negativè, quòd à nullo acceperit esse, neque potuerit accipere. Dependens illud vocatur, quod accipit, vel accipere potest esse ab aliquo alio per veram causalitatem. Personæ videlicet diuinæ Filij & Spiritus sancti accipiunt esse, sed non sunt tamen dependentes, quia non accipiunt illud per veram causalitatem. Tertiò traditur hoc modo

Ens per essentiam,
ens per participationem.

ens per essentiam, & ens per participationem. Ens per essentiam est illud quod essentialiter existit, & est totum id quod est, seu quod nihil omnino habet quod non sit eius essentia. Ens per participationem illud, cui existentia, & plures etiam aliæ perfectiones accidentaliter adueniunt. Quartò dicitur actus purus, & ens potentiale. Illud dicitur actus purus, quod nullam habet potentiam ad existendum, aut recipiendum; sed totum quod esse potest, actu & necessariò est. Ens potentiale illud nominatur, quod esse potest in potentia, tum ad existendum, tum ad recipiendum aliquid noui, quod non habeat. Puritas actus soli Deo conuenit habenti omnia per essentiam, imò nihil habenti, sed essenti omnia, vt ita dicam. Aliæ hoc modo discurrenti per omnia Dei attributa, possunt excogitari diuisiones generales entis, quarum alterum membrum sit Deo proprium, aliud omnibus commune creaturis.

Triplex
dubit.

Ratio ergo dubitandi primò esse potest, quia vt diuisio aliqua bona sit, debent membra subdiuidentia ita tradi, vt postea non sint rationes aliæ alteri communes, alioqui fier commixtio specierum huiusmodi diuidentium: atqui ens à se, v.g. rorsum habet sub se intellectiuium, quod subdiuidi potest in intellectiuium à se, & intellectiuium ab alio. Similiter infinitum habet sub se plures diuisiones, v.g. idem intellectiuium, cum aliud sit intellectiuium infinitum, aliud finitum: ergo illæ diuisiones vitiosæ sunt.

Secundò ens diuidi debet per rationes essendi: sed esse Deum & creaturam non sunt ratione essendi, sicut perfectas & inhærentia: ergo ens non bene diuiditur in Deum & creaturas.

Tertiò diuisio entis in substantiam & accidens non videtur adæquata, cum non contineat omne ens; modi enim substantiales neque sunt substantiæ, neque accidentia; si enim essent substantiæ, perfecte subsisterent; si accidentia, pertinerent ad categoriam aliquam accidentium; non pertinent autem ad ullam categoriam accidentium.

Diuisio
entis in
finitum &
infinitum.

Dico primò, optimam videri & adæquatam diuisionem entis in ens infinitum & finitum: in

ens à se, & ens ab alio; actum purum, & ens potentiale; necessarium, & contingens.

Ratio est primò, quia illa diuisio est bona & adæquata, cuius duo termini contradictorie ita opponuntur, vt summam habeant oppositionem: huiusmodi sunt ens finitum & infinitum, ens à se, &c. ergo diuisiones illæ optimæ sunt, & sunt etiam adæquate, quia nulla ex illis est, quæ non contineat latitudinem totam entis.

Dico secundò, bene item & adæquatè diuidi ens in substantiam & accidens.

Ratio est, quia nullum est ens, quod vel non sit aptum inherere alteri per veram & propriam inhærentiam, vel quod sit aptum inherere. Si non est aptum inherere, substantia est; si aptum est inherere, est accidens: ergo nullum est ens, quod non sit substantia, vel accidens. Substantia enim sumi potest, vel prout est genus tantum analogum, & sic significat substantiam, tum creatam, tum increatam; vel prout est genus vniuersum, & primum prædicamentum, & sic solam dicit substantiam creatam, vt patebit ex *quest. 3.* hic autem substantia sumitur prout est analogæ, communis nimirum Deo & creaturis.

Ad primam respondeo negando, quod in diuisionibus entis membra subdiuidentia debeant ita tradi, vt non sint postea in altero rationes omnes alteri communes; hoc enim est impossibile: v.g. si diuidatur ens in spirituale & corporeum, vtrumque membrum participat rationem viuentis, cognoscitiui, &c. Substantia & accidens commune habent spirituale & corporeum. Idem dico de aliis omnibus diuisionibus; sufficit enim vt membra, prout formaliter, nihil inter se habeant commune.

Ad secundam respondeo negando ens diuidi debere in modos essendi; debet enim potius diuidi in diuersa entia, alioqui non rectè diuideretur in substantiam & accidens, quæ sunt entia, non autem modi essendi: falsum autem est, quod ens diuidatur in perfectitatem, & inhærentiam.

Ad tertiam respondeo modos omnes substantiales reuocari ad substantiam; sunt enim substantiæ quodammodo incompletæ. Patebit autem ex dicendis *quest. 3.* modos completos, qui supponunt suum subiectum in suo esse iam plenè constitutum, pertinere directè ad aliquam categoriam, cuiusmodi est figura: modos autem illos, qui sic afficiunt suum modificatum, vt compleant ipsum in suo genere, pertineantque ad eius integritatem, tunc simul cum modificato in eadem poni categoria, per quamdam reductionem. Huiusmodi est substantia.

SECTIO II.

Quanam inter diuisiones entis sit omnium prima.

Id est, vtrum ens æquè primò, & æquè immediate diuidatur in ens infinitum, & finitum; in ens à se & ab alio; in ens intellectiuium, & non intellectiuium; substantiam, & accidens: an verò aliqua inter diuisiones illas sit aliis prior, & magis immediata, & quanam illa sit.

Ratio dubitandi primò est, quia illæ diuisiones entis sunt æquè immediatæ ac primæ, quæ non diuidunt tantum aliquod ens particulare, sed ipsum ens vniuersalissimè sumptum sine respectu ad alias huiusmodi sunt istæ diuisiones in substantiam & accidens.